

161

159

165

155

170

150

210

110

260

060

Ende

Anfang

146

notos eas jacere sinat, quia quam statim vultum avertit,
evanescit: nec (56A) pecuniam in cista cumbae suae dimittat;
sed inseparabiliter eam secum portet, et non confidat servis
nec sociis. Est enim singularis inclinatio ad furtum in navi,
etiam illorum, qui extra navim furtum detestantur, et praecipue
parvarum rerum, ut panniculorum, cordularum, camisiarum,
et hujusmodi, quae etiam socii sibi ipsis subtrahunt, quandoque,
quia multiplex defectus in navi homini contingit, cui dum
non potest obviare, providet sibi per phas et nephias. Ita
dum quis scribit, si pennam deponit et faciem avertit, perdita
est inter notos, et dum eam perdit, difficulter valde aliam
reperit etc.: de aliis rebus. Videtur enim in politia navalium
adhuc vigere lex vetustissima Aegyptiorum, quae furtum non
vetabat, jubebat enim eos, qui furari volebant, nomen suum
apud principem sacerdotum scribere, atque e vestigio furtum
ad eum deferri. Similiter quibus res furto crepta erat, ad
eundem rei sublatae tempus, diem et horam scribere tenebatur:
hoc modo facile invento furto, quae remansisset, quarta mul-
tabatur parte, quae daretur furi. Satius legislator esse duxit,
cum impossibile esset furta prohiberi, potius alicujus portionis
quam totius (esse amissa) homines jacturam pati: ut habet
Diodorus antiquarum historiarum lib. 2. cap. 3. Unde ad idem
dicit Proverb. 6. v. 30.: non grandis est culpa, cum quis furatus
fuerit. Imo in veteri lege morti non plectabatur fur: ut patet
Exod. 22. v. 1., sed in substantia mulctabatur. Nunc vero in
statu perfectae legis vita privantur in communi hominum
conversatione. Sed in navibus aliud videtur esse: innascitur
enim navigantibus quidam furandi appetitus, praesertim in
rebus parvis. In portibus caveat peregrinus, ne extra galēam
exiens evagetur hinc inde: praecipue ad litora solitaria maris,
ne subito rapiatur a piratis, et in perpetuam ac miserrimam
servitutem redigatur, quod saepe fit. Novi ego quendam
militem, qui solus repertus circa mare fuit, suis pecuniis et
jocalibus spoliatus ad maenia civitatis per incolas. Caveat
etiam ne domus ingrediatur ad nutus mulierum se vocantium,
quia periculum magnum est, non solum honoris et rerum, sed
etiam vitae. Quincunque vult honestati et probitati operam
dare, et hanc sanctam peregrinationem mundam servare, non

